

# PRIVILEGIUM ALTARIS PORTATILIS

CLERICIS REGULARIBUS MINISTRANTIBUS INFIRMIS

A PIO PAPA X DIE 26 IULII 1905 CONCESSUM

CUM

## ANNOTATIONIBUS

P. PETRI KRAEMER

SACERDOTIS ORDINIS CLER. REG. MIN. INF.  
CONSULTORIS S. CONGR. DE RELIG.

(EX PERIODICO "ANALECTA,, ORD. C. R. M. I.)



ROMÆ 1932

## PRIVILEGIUM

SACRA CONGREGATIO RITUUM

CLERICIS REGULARIBUS MINISTRANTIBUS INFIRMIS

*R. mus P. Franciscus Vido CC. RR. Infirmis Ministrantium universae Familiae Praefectus, probe noscens quantum auxili morbis animi medendis vel ipsis aegrotis morti proximis sancte disponendis Sacrosanctum Missae Sacrificium conferre soleat: a Sanctissimo Domino Nostro Pio PP. X. privilegium altaris portatilis pro cunctis ipsis Regularis Familiae sacerdotibus humillime flagitavit: ut, nimirum, iisdem Clericis Regularibus, venia habita a respectivo Moderatore vel Provinciae sua Praefecto, in privatis fidelium domibus sive prope cubiculum, sive in aegroti cubiculo ad animae solamen bonumque illius Sacrum litare liceat: in publicis vero Nosocomiis aliisque piis locis vulgo « Lazzaretti » nuncupatis, nec non in domibus uti aiunt « Case di salute », singuli iisdem Clerici Regulares in Altari portatili Missam celebrare valeant.*

*Sanctitas porro Sua, huiusmodi supplicia vota ab infrascripto Cardinali Sacrorum Rituum Congregationi Pro-Praefecto relata clementer excipiens, de specialissima gratia nunquam in exemplum afferenda, expeditum privilegium, absque ulla Apostolici Brevis expeditione, pro Nosocomiis ceterisque enuntiatis locis benigne tribuere dignata est singulis Sacerdotibus predictae Regularis Familiae, quoadusque ibidem commorentur. Pro aegrotantium vero privatis domibus potestatem fecit tum supremo Moderatori, tum singulis pro tempore Praefectis unicuique Provinciae CC. RR. memoratae Congregationis, ut pro suo quisque prudenti arbitrio et conscientia, praevio tamen Ordinarii loci consensu, permittat Missae Sacrificium in Altari portatili celebrari, dummodo loci decentiae, meliori quo fieri potest modo, provideatur. Contrariis non obstantibus quibuscumque.*

*Die 26 Iulii 1905.*

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praef.*

L. ♫ S.

† D. PANICI, *Archiep. Laodicens. Secret.*

## ANNOTATIONES

### 1. - Privilegii analysis

Quoad locum et licentias requisitas duae partes in privilegio distinguuntur: altera quae de piis locis (nosocomiis, etc.) loquitur, altera quae privatas aegrotantium domos respicit.

1) Pro Nosocomiis, « Lazzaretti » et « Case di salute » concessum fuit in Altari portatili Missam celebrare:

- a) singulis sacerdotibus Ordinis Cler. Reg. Min. Inf.,
- b) quoadusque ibidem commorentur.

2) Pro privatis aegrotantium domibus:

- a) Praefecto Generali et Provincialibus facta est potestas permittendi Missae celebrationem in Altari portatili,
- b) praevio consensu Ordinarii loci,
- c) et procurata loci decentia meliori quo fieri potest modo.

### 2. - Privilegii natura

De iure communi, nunc canone 822, § 1, expresso, Missa celebra est tantummodo in loco sacro, id est in ecclesia vel oratorio. Extra haec loca id non licet sine speciali privilegio altaris portatilis vel iure vel indulto Sedis Apostolicae concesso. Cardinales istud privilegium habent vi canonis 239, §. 1, n. 7, et episcopi vi can. 349, §. 1, n. 1. Aliis, praesertim missionariis, aliquando conceditur per indultum. Clericis Regularibus Ministrantibus Infirmis idem concessum fuit die 26 Iulii 1905 in favorem aegrotantium.

Ipsa iure (can. 822, § 4), « loci Ordinarius aut, si agatur de domo religionis exemptae, Superior maior, licentiam celebrandi extra ecclesiam et oratorium super petram sacram et decenti loco, nunquam autem in cubiculo, concedere potest iusta tantum a rationabili de causa, in aliquo extraordinario casu et per modum actus ». Quae facultas est restrictive interpretanda, ita ut ex. gr. casus infirmitatis sacerdotis vel parentis non sufficiat, cum non sit extraordinarius. (Vermeersch, Epitome J. C., II, n. 99). Indulatum Clericis Regularibus Ministrantibus Infirmis concessum ab hoc privilegio Ordinariorum et Superiorum maiorum eatenus differt, quatenus iis non concedit in quolibet honesto et decenti loco

super petram sacram, sed tantum apud aegrotos celebrare, et insuper quatenus non ad casum extraordinarium restringitur, ipsique eo uti possunt non tantum per modum actus, sed etiam habitualiter; praesertim autem ab eo distinguitur, quatenus celebrationem in ipso aegroti cubiculo permittit.

### 3. - Privilegium concessum

#### “de specialissima gratia nunquam in exemplum afferenda”

Gattico in suo libro « *De oratoriis domesticis et de usu altaris portatilis* », capite IX, n. 3, anno 1746, scripsit: « Licet Romani Pontifices libentius soleant indulgere celebrationem in privatis oratoriis, rarissime tamen usus Altaris viatici (sic etiam appellatur Altare portatile) in cubiculis omnino communibus concedunt; ita ut vix aliquando in gratiam quorundam Magnorum Virorum ac Matronarum, gravi longaque infirmitate laborantium, lectoque iacentium, in propriis cubiculis privilegium Altaris portatilis elargiantur ». Et cap. XIV, n. 9: « Tam ampla facultas (scil. celebrandi in ipso aegroti cubiculo), si aliquando conceditur, unice reservatur ad ubiorem spiritualem consolationem magnorum principum atque principessarum ».

Papae Pio X, de SS. Eucharistia tantopere merito, reservatum fuit, tam amplam facultatem, contra usum hactenus in Ecclesia vigentem, revera « de specialissima gratia » ad omnes omnino aegrotos extendere, etsi ipsi sint infimae conditionis, « probe noscens, sicut Orator gratiae dixerat, quantum auxilii morbis animi medendis vel ipsis aegrotis morti proximis sancte disponendis Sacrosanctum Missae sacrificium conferre soleat ».

De hac gratia nunquam in exemplum afferenda dicit Vermeersch, *Periodica* t. II, n. 85: « His verbis demonstratur privilegium istud esse, ex Pontificis mente, incommunicabile; nec spem fore alii Instituto idem obtinendi directa concessione. Ac satis facile intelligitur speciali benevolentia uti in hac re Clericos qui speciali vocatione sua iuvandis spiritualiter infirmis deputantur ».

Qui Clerici grato erga tantum Pontificem animo eo privilegio saepe ac libenter utuntur, *quamvis iis non parva onera imponat*, salutem sic procurantes aegrotantium, quam Summus animarum Pastor illud concedens unice intendebat.

Simile privilegium concessum fuit (a. 1565) Canonicis Lateranensisibus (partim a. 1725 valde coarctatum), et Piis Operariis (a.

1729), sed in favorem tantum ipsorum Religiosorum infirmorum. (Vide tenorem utriusque privilegii in Bullario S. J., vol. I, pag. 524, n. 33, et praesertim Gattico, « De Oratoriis domesticis et usu Altaris portatilis », cap. XIII, n. 13-17, qui privilegii sui Ordinis Can. Lat. tenorem, historiam et commentarium affert. Privilegium tamen a Pio X Clericis Regularibus Infirmis Ministrantibus concessum haec duo privilegia valde excedit, quatenus Missam celebrari permittit non tantum coram religiosis infirmis (in ipsa domo religiosa decubentibus), sed etiam in cubiculo cuiusvis fidelis aegroti, dummodo loci decentiae, meliori quo fieri potest modo, provideatur.

#### 4. - Privilegii existentia

Privilegium hoc, paulo ante Codicis promulgationem concessum, neque expresse revocatum sive ante Codicem sive ipso Codice, hodie adhuc integrum manere, in dubium vocari nequit. Dicit enim can. 4: « Privilegia, quae in usu adhuc sunt nec revocata, integra manent, nisi huius Codicis canonibus expresse revocentur ». Ideo ad quaesitum Sacrae Rituum Congregationi a quodam Ordinario nihilominus propositum: « Utrum post promulgationem Codicis I. C. et plurimorum Decretorum S. Sedis circa usum altarium portatilium adhuc plane vigeat privilegium Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis », eadem Sacra Congregatio die 26 Iulii 1931 respondit: « Privilegium concessum per Rescriptum Sacrae Rituum Congregationis diei 26 Iulii 1905 perseverare censendum esse (Can. 4 C.I.C.) ». De Decretis a S. Sede post promulgationem Codicis emanatis Sacra Congregatio in suo responso nihil dicit, quia nullum datum fuit Decretum quod hoc privilegium suppresserit.

#### 5. - Privilegii effectus salutares

In ipso privilegio Orator duas rationes affert, cur illud efflagitavit. Dicit enim, sacrificium Missae plurimum conferre ad animi morbis medendum, et disponere aegrotum ad mortem sancte subeundam. Ita revera esse omnes sacerdotes bene norunt qui coram infirmis litarunt, et ab ipsis fidelibus, qui huic Missae astiterunt, iterum iterumque confirmatur.

Sed et ipsi fructus ordinarii, quos Missae sacrificium in fidibus producere solet, scilicet fructus meritorius, impetratorius, propitiatorius et satisfactorius, de quo theologi fusius tractant, ab

homine aegroto certius ac abundantius acquiruntur propter maius eius desiderium Missae assistendi, et meliorem eius dispositionem ad bene assistendum, quatenus ipse, divinae voluntati libenter se subiiciens et morbi dolores ac privationes patienter sustiens, suum ipsius sacrificium, Sanctissimo Missae sacrificio unitum, Deo offert.

#### 6. - Aegroti - in nosocomiis - et in domibus privatis

Omnes aegroti catholici, qui ob infirmitatem sacrificio Missae in ecclesia vel oratorio assistere nequeunt, hoc privilegio comprehenduntur. In favorem enim aegrotantium sine limitatione ulla fuit concessum, et ideo falsum esset illud restringere velle ad homines graviter aegrotos. Sic etiam privilegium Canonicis Lateranensis concessum ad omnes religiosos aegrotos se extendit, ut dicit Gattico, l. c. cap. XIII, n. 14: « Amplissimum profecto est recitatum privilegium singulos de nostra Congregatione Canonicos, Conversos ac Moniales respiciens. In infirmitate autem assignanda nihil penitus limitat, id sufficere declarans, quod infirmus ex prudenti consilio medici aut Superioris, extra cubiculum non permittatur exire, sive propter virum lassitudinem ex infirmitate ortam ad communem Monasterii Cappellam accedere nequeat ». — Ab usu privilegi tamen excluduntur illi infirmi, qui finem, ob quem fuit concessum, minime attingere possunt, sicut infantes qui nondum ad usum rationis venerunt, et amentes. Infirmos diuturno vel gravi morbo laborantes ceteris ordinarie esse praeferendos, per se patet.

Distinctio tamen fit inter aegrotos *quoad locum* in quo decubunt, id est, inter eos qui in *domibus publicis* curae infirmorum destinatis degunt, vel in *domibus privatis*. Pro nosocomiis et domibus quas vulgo « Lazzaretti » vel « Case di salute » vocant, privilegium celebrandi in Altari portatili directe concessum est singulis sacerdotibus Ordinis Cler. Reg. Min. quoadusque ibidem comorentur; pro aegrotantibus vero in privatis domibus haec potestas fit dictis sacerdotibus tantum cum permissu suorum Superiorum maiorum et consensu Ordinarii loci.

Triploris generis domus publicae, curae infirmorum destinatae, in privilegio nominantur, scilicet: nosocomia, quae aegrotos quoslibet, eos etiam qui solvendo sunt impares, suspicere solent; « Case di salute » pro infirmis potius specialis categoriae erectae; « Lazzaretti » seu « Loemocomia » infirmis peste vel alio morbo contagioso affectis reservata. Valetudinaria autem *cuiuslibet generis*, quo-

cumque nomine vocentur, in hoc privilegio intelligi, iam ex eo evincitur quod vox « nosocomium » significationem generalem habeat, omnia valetudinaria exprimens, et ex fine privilegii qui pro omnibus aegrotis idem est, mederi scilicet morbis animi et disponere aegrotum ad mortem sancte suscipiendam. — Pro his locis piis « expeditum privilegium » fuit concessum, ergo privilegium celebrandi in Altari portatili, ex. gr. in publicis aulis nosocomii, in infirmorum cubiculis, vel alio loco quo aegroti convenire possunt ad Missae assistendum. Nota tamen, in privilegio concesso iam non dici, sicut Orator dixerat, in « publicis » nosocomiis, sed absque ullo adiecto: in « nosocomiis aliisque piis locis vulgo « Lazaretti » nuncupatis, neconon in domibus uti aiunt « Case di salute ».

Sic etiam vox « *domus privata* » in privilegio concesso intelligitur tantum in oppositione ad *domos publicas infirmis curandis destinatas*, id est in oppositione ad nosocomia, non vero ad alias quaslibet domos publicas, quae alicui communitati sunt destinae, prout sunt: *domus religiosae, seminaria, collegia, orphanotrophia, carceres, universitates, domus piarum associationum, etc.* Haec distinctio inter aegrotos in nosocomiis vel in domibus privatis degentes communiter fieri solet in Constitutionibus religionum, quarum finis specialis est cura infirmorum. Ibi enim dici solet, utrum sodales illius religionis curae infirmorum se dedicent tantum in nosocomiis, vel etiam in domibus privatis. Si in utrisque locis id faciunt, *omnes omnino aegroti ab iis curari intelliguntur*, iis tantum exceptis qui explicite excipiuntur in Constitutionibus, ex. gr. amentibus vel aegrotis alterius sexus. — Eadem distinctio fit in Constitutionibus Ordinis Clericorum Regularium Ministrantium Infirmitis, quae separatis capitulis agunt de ministerio infirmorum in nosocomiis (articuli 123-143), et de ministerio infirmorum in domibus privatis (art. 143-154), qua distinctione tamen omnes aegrotos amplecti volunt, excepta solum cura corporali mulierum et amentium. Immo Bulla « Illius qui pro gregis », qua Gregorius XIV a. 1591 dictum Ordinem approbavit, postquam de infirmis in nosocomiis locuta est, de infirmis in domibus privatis agens sic se exprimit: « qui extra nosocomia in aliis locis aegrotant ».

Unde sequitur, vocem *domus privata* in privilegio minime esse intelligendam in oppositione ad quaslibet domos publicas seu communitatis, sed tantum in oppositione ad nosocomia.

#### 7. - Consensus Ordinarii loci

Si S. Sedes Superioribus Ordinis Cler. Reg. Min. Inf. facultatem dedit Missae celebrationem in domibus privatis permittendit tantum « *praevio Ordinarii loci consensu* », id factum esse videtur hunc in finem: 1) ut Ordinarius sit rite edoctus circa ea quae in suo territorio fiunt; 2) ut vigilare possit ne abusus irrepant; 3) ut iudicet, utrum speciales loci vel temporis circumstantiae usum privilegii suadeant annon. — Ubi eiusmodi circumstantiae speciales non obstant, Ordinarii locorum hunc consensum non denegabunt, sed dicent cum Ordinario quodam Regni Batavi: « Quomodo ego possem negare, quod Papa permisit? ». Vel usum privilegii commendant, sicut Excellentissimus Archiepiscopus Taurinensis, qui die 15 Iulii 1931 scripsit: « Mentre ringraziamo Dio per il grande privilegio che il Pontefice Pio X concesse ai Padri Camilliani di celebrare la Santa Messa nella camera degli ammalati, facciamo voti che molti infermi possano avere e gustare così grande conforto religioso ».

Hic consensus ab Ordinariis modo generali, semel pro semper, dari potest, et ita datus etiam post mortem dantis perdurat, sicut Sacra Congregatio Relig. die 10 Iulii 1917 declaravit. Potest autem etiam dari restrictive pro singulis casibus; immo consensus semel datus, ob iustas causas, restringi aut revocari potest, sicut Sacra Rituum Congregatio die 27 Maii 1931 ad quae situm Ordinarii Mediolanensis respondit.

#### 8. - Decentia loci

Cubicula, in quibus homines lecto decumbere solent, non satis decentia videbantur, ut inibi augustissimum sacrificium Missae celebrari posset. Ideo in privilegio, quod in canone supra citato 822, § 4, Ordinarii loci et Superiori maiori concedit facultatem permittendi celebrationem extra ecclesiam et oratorium, expresse dicitur: « *decenti loco, nunquam autem in cubiculo* ».

Ab hac decentia absoluta privilegium Pianum abstrahit, permittens celebrationem etiam in cubiculo aegroti. Vult tamen ut « *loci decentiae provideatur meliori quo fieri potest modo* ».

Quae decentia requiri videtur praecipue quoad domum, cubiculum et mensam. Quoad *domum* iam Gattico, l. c., cap. XV, n. 10, notavit: « Si ob infideles aut haereticos in illa inhabitantes timeatur futurum aliquod incommodum, aut irreverentiae genus,

tunc ab usu privilegii abstinere oporteret ». Et n. 11 : « Sacrificium in communibus vilibusque hospitiis, atque tabernis expleri nequit, quoniam indecorum valde est, ut in deformi ac ab omnibus vectribus frequentato diversorio Sacra Dona immolentur ». — In cubiculo autem, ubi celebratur, maxima mundities procuretur et ordo; omnia indecentia, ex. gr. imagines indignae, removeantur; flores et ornamenta, si fieri poterit, apponantur. Ubi autem infirmus assistere potest Missae, quae celebratur *prope cubiculum eius*, expedire videtur ut ipsa non celebretur *in ipso cubiculo*. — Imprimis autem ipsa mensa, super quam collocatur Altare, non sit imunda, nec vilibus usibus deputata.

Superiorum Ordinis est super haec omnia vigilare, et necessaria providere, priusquam suis sacerdotibus celebrationem in domo alicuius infirmi permittant.

Ipsum autem Altare portatile, ut idem Gattico, XV, 17, observat, debito cum honore et reverentia teneri debet, quoniam id postulat ipsius consecratio. Hinc diligenter in itineribus est transferendum, et caute custodiri debet.

#### **9. - Quibusnam diebus privilegio uti liceat**

In privilegio nulla habetur limitatio, nulla fit exceptio festorum; unde dicti Clerici Regulares eo uti possunt omnibus diebus, exceptis solummodo tribus ultimis diebus hebdomadae maioris. Etiam in *Coena Domini* Missae privatae, exceptis paucis casibus et speciali privilegio, prohibentur. Casus qui excipiuntur agunt de Missa in ecclesiis vel oratoriis celebranda.

In privilegiis *Oratorii privati* quidem nonnulli dies, praesertim festi sollemniores, excipi solent a facultate Missam ibi celebrandi; « quando autem indultum Oratorii privati conceditur propter infirmitatem, nullus dies excipitur ». (Noldin, *De praeceptis*, n. 262, 2, c). Ratio huius discriminis est: Summus Pontifex vult ut illi, quibus datur indultum Oratorii privati, saltem diebus festis sollemnioribus in publica ecclesia sacrificio Missae assistant; infirmos autem, qui in ecclesiis assistere non possunt, hoc sacrificio illis diebus minime vult privare. (Vide Gattico, I. c., cap. XV, n. 4).

Id a fortiori valet de privilegio *Altaris portatilis*, quod latius patet quam privilegium Oratorii privati.

#### **10. - An pluries in die coram eodem aegroto**

Die Nativitatis D. N. I. C. et die Commemorationis omnium Fidelium defunctorum ab eodem sacerdote ibi tres Missas celebrari posse, certo affirmandum est. Quoad festum Nativitatis id expresse declaratum fuit ad Decretum Tridentinum de observandis et evitandis in celebratione Missae, n. 16 (Chilardi, pag. 195), si agitur de oratorio privato ex causa infirmitatis concesso. Ceteris autem diebus nonnisi unam Missam, eamque lectam, in cubiculo aegroti celebrari posse videtur, idque propter paritatem huius privilegii cum indulto Oratorii privati (Confer can. 1195, § 1). Id etiam assentit Gattico, qui ait (XV, 3): « Licet nulla expressa fiat limitatio unius Missae, satis ista restrictio detegitur concessionis fine perpenso... Profecto nimis excedere videretur, et sine legitima causa, privilegii amplitudo, si passim pluralitas Missarum in cubiculis celebrari sineretur ».

#### **11. - Quanam hora ibi celebrare liceat**

Iuxta can. C. I. C. 821, § 1, Missae celebrandae initium ne fiat citius quam una hora ante auroram vel serius quam una hora post meridiem. Omnibus Regularibus tamen privilegium concessum est celebrandi duabus etiam horis ante auroram. Quo privilegio ergo etiam Clerici Regulares Ministrantes Infirmis in Missis coram aegrotis celebrandis uti possunt, idque non solum quando ipsi noctu aegrotis assident, quo in casu duabus horis ante auroram celebrare possunt vi specialis privilegii ipsis a Leone XIII die 18 Martii 1886 directe concessi. Immo privilegium Benedictinum concessum, his Ministrantibus Infirmis communicatum, Missae celebrationem duabus horis post medium noctem permittit (Vermeersch, *Epitome*, vol. I, editio 1, n. 629), et vol. II, n. 96).

Necessitas autem, ex. gr. dandi Viatici moribundo, ab observando tempore excusat omnino, ita ut tunc iam media nocte celebrare liceat (ibidem, vol. II, n. 96). Conditio etiam aegroti, qui S. Communionem recepturus diutius iejunus manere non potest, etiam sufficere videtur ad Missam incipiendam ante tempus a lege vel privilegio concessum.

## 12. - S. Communionis distributio

Occasione Missae coram infirmo celebratae S. Communio distribui potest (can. 869). *Quaeritur quandonam dari possit infirmo non ieunio.*

1) Id fieri potest quoties *Viaticum* administrari licet. Atqui hoc, perdurante mortis periculo, licet pluries, distinctis diebus (can. 864, § 3), immo quotidie (Jorio, *La Comunione agl'infirmi*, n. 28 et 29).

2) « *Infirmi qui iam a mense decumbunt sine certa spe ut cito convalescant, de prudenti confessarii consilio ss. Eucharistiam sumere possunt semel aut bis in hebdomada, etsi aliquam medicinam vel aliud per modum potus antea sumpserint* » (can. 858, 2).

3) Alii autem infirmi obligatione ieunium ante Communionem servandi, sicut ceteri fideles, tenentur; hodie tamen, praesertim si gravi morbo laborent, satis facile dispensationem a S. Congr. S. (Religiosi a S. Congr. Rel.) obtinebunt, ita ut aliquid per modum potus, immo si id petierint, etiam medicinam ante S. Communionem sumere possint. Requiritur testimonium medici et commendatio Ordinarii. (Jorio, I. c. n. 55).